



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

154. An maritus possit communicare cum vxore excommunicata? Idem est, si contigerit utrumque esse excommunicatum. Et si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia, ob quam excommunicata est, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quoniam multis 1.1.9.3. generalia sunt. Secunda opinio negat. Ita D. Thom. in 4. diff. 18. q. 2. art. 4. Gordonus, in summa, tom. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. n. 72. Faber, de cens. in 4. sem. diff. 1. 2. 5. q. 1. diff. 4. c. 7. n. 2. 17. Filiucius, tom. 1. tr. 13. c. 6. n. 103. Suarez, diff. 15. sect. 4. n. 6. Cornejo, in 3. part. 5. de excomm. diff. 10. §. 10. dub. 2. Mercerus, de Sacram. in 3. part. 9. 2. 1. dub. 1. & ratio est, quia non videtur ut contractus factus in injuriam excommunicationis tribuat jus ad communicationem per ipsam censuram. Confirmatur, quia si quis directe se obligaret ad communicandum cum excommunicato, contractus esset nullus, cum sit de re illicita ergo contractus matrimonialis cum excommunicato factus, non potest esse efficax, quantum ad vim obligandi ad cohabitationem, & ad alios actus vxoris durante alterius conjugis excommunicatione, alias jam valida esset obligatio communicandi cum excommunicato. Excipitur tamen casus, quando vxor bona fide contraxit cum ignorantia excommunicationis, & de contra, quia tunc nihil agit contra censuram, & sic non est cur jure bene acquisito privetur, unde quando postea scit viri excommunicationem, non debet ab usu juris sui abstinere. Et idem est si scienter contraxit cum viro excommunicato tolerato, & post matrimonium denunciatur.

3. Sed, ut verum fatear, ego puto cum Turriano de cens. lib. 2. diff. 13. dub. 2. priorem affirmativam sententiam amplectendam esse, quia cum res non sit expressè definita in jure, non est causa, ob quam ita stricte velimus loqui in hac materia; & ita hanc sententiam præter DD. citatos tenet Villalobos, in summa, tom. 2. tr. 17. diff. 13. num. 12. ubi sic ait: [La palabra lex, da de entender que por la ley del matrimonio puede comunicar la muger con el marido que está descomulgado, como consta del derecho, donde no solamente se dice que puede, sino que está obligada; de fuerce que puede pagar el debito, dormir, y comer con el, y hazer los demas servicios, que los textos que hablan desto, generalmente hablan: y entendiendo esto, aunque el marido estuviere descomulgado antes del matrimonio, como tiene probablemente Vgolino, porque las palabras de los textos son generales.] Hæc ille.

RESOL. CLIV.

An maritus possit communicare cum vxore excommunicata?

Idem est, si conigerit virumque esse excommunicatum.

Et si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia ob quam excommunicata est, an peccet? Ex par. 5. tract. 9. Resol. 123.

§. 1. In hoc dubio Sylvester, ver. excomm. 5. num. 4. Amilla, cod. ver. n. 4. putat non posse maritum communicare cum vxore excommunicata. Primum, quia maritus potest cogere vxorem ut petat absolutionem. Secundum, quia in cap. quoniam multis, tantum decernitur quod vxor possit communicare cum marito. Tertio à simili, quia in cap. de filia 27. q. 1. contrarium videtur decerni.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, quia eadem conditione maritus, & vxor esse debent. Postremò idem dicendum est si contingeret virumque esse excommunicatum, nam concurrentes hæc excommunicationes non faciunt majus impedimentum, nec tollunt communicandi concessionem in dicto c. quoniam multis 1.1.9.3. concessam.

3. Nec valet dicere quod in dicto cap. quoniam

multos, solum excipitur vxor, & non vir, & meritò. Nam cum vir sit caput vxoris facile potest eam inducere & compellere ut absolutionem petat, quod si non faciat ei imputatur, unde excusandus non est à communicatione cum illa. Sed respondetur ibi excipi vxores, quia frequentius viri, quam vxores in excommunicationem incidunt, per hoc tamen non excluduntur casus similes minus frequentes, sed potius includi censentur ex glossa in Clem. 1. verbo, Presidentes, de rescriptis. Et ita hanc sententiam docet Gord. tom. 2. l. 7. q. 10. c. 6. n. 70. Faber, de cens. in 4. sem. diff. 25. q. 1. diff. 4. c. 7. n. 119. Cornejo, in 3. part. 5. de excomm. diff. 10. §. 10. dub. 2. Turrian. lib. 2. diff. 13. dub. 3. Valq. de excomm. diff. 9. Suarez, diff. 15. sect. 4. n. 14. Hurtado, de excomm. diff. 9. diff. 4. n. 23. Coninch. de Sacram. diff. 14. dub. 12. n. 123. Villalob. in sum. tom. 1. tr. 17. diff. 13. n. 14. Præpos. in 3. p. q. 2. dub. 17. n. 125. & Mercerus, de Sacram. in 3. part. 9. 2. 1. dub. 11. ubi bene notat, quod si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia, ob quam est excommunicata, graviter peccabit, eo quod Superior ejus sit, non tamen incidit in excommunicationem. Porro idem dicendum erit, si uterque conjux sit excommunicatus, non enim privabuntur mutua ad invicem communicatione, quod etiam notat Layman, lib. 2. tr. 5. par. 2. c. 2. n. 16. & Avila, part. 2. cap. 6. diff. 9. dub. 5. resp. ad 2.

RESOL. CLV.

An nepotes, pronepotes, nurus, gener, socer, privignus, privigna, spurius, & pupillus comprehendantur nomine filiorum, ita ut possint cum excommunicato communicare? Idem est dicendum de pupillo respectu Tutoris. Et consequenter etiam nomine Patris intelliguntur avus, abavus, &c. Ex part. 5. tr. 9. Ref. 119.

§. 1. Affirmativè respondeo cum Cornejo, in 3. part. 5. de excomm. diff. 11 §. 10. dub. 3. q. 3. ubi sic ait: Si roges an nomine filiorum sint intelligendi nepotes & pronepotes, &c. Respondetur affirmativè, ex l. filij appellat. & l. liberorum, ff. de verb. significat. & consequenter nomine etiam patris intelliguntur avus, abavus, &c. Si inquiras an in communicatione comprehendantur qui ratione affinitatis loco filiorum sunt ut nurus & gener, spurij, socer, & privignus & privigna respectu novercæ, &c. Respondetur affirmativè, ex c. affinitatis, Inst. de nupt. unde si extra convictum suorum correlativorum non sunt, licita est inter eos communicatio; secus verò si jam quasi emancipati sint, quia non manet in illis naturalis illa obligatio, quæ in filiis naturalibus, sed manet sola affinitas, quæ non est radix tam stricte obligationis ut sic causa communicandi cum excommunicato. Si autem iterum inquiras, an hoc etiam intelligatur de pupillo respectu tutoris? Respondetur affirmativè, si sit sub ejus cura in eadem domo, quia respectu ejus parentis vicem gerit, aliter verò solum poterit eum communicare in his, quæ ad munus tutoris pertinent. Hæc omnia Cornejo. Cui adde Hurtado, diff. 9. de excomm. diff. 4. n. 21. Turrian. lib. 2. diff. 13. dub. 4. Mercerus de Sacram. in 3. part. 9. 2. 1. dub. 11. Gordonum, tom. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. n. 76. qui notat ea quæ dicta sunt de nepotibus & aliis personis, aliquos recentiores limitare ad tempus, quod tales personæ sunt intra convictum, & habitationem mutuum, sed revera etiam quando sunt extra convictum, manet affinitatis gradus & nepotis vinculum naturale, licet non ita propinquum ut in filio. Quare non videtur illis aliqua saltem deneganda communicatio, quantum scilicet morali modo requirit earum personarum status, & conditio. Hæc Gordonus.